tiosus, ut non pæniteat his diebus? meritò fecisse atq; devotè dicetis nostros Discipulos

JOH. CHRISTOPHORUM GREIMIUM Radeb. Misnic.
MARTINUM DROPCOVIUM Sprembergâ
JOHANNEM MULLERUM Luccâ ~~Lusatos~~.
ABRAHAMUM Wünsch Sprembergâ ~~Lusatos~~.
ERNESTUM Weiß Budissâ ~~Lusatos~~.
} Lus.

quod omnes ac singuli peroraturi &, excepto primo, Gymnasio atq; Patriæ valedicturi & ad Academias transituri materiam sacram selegerint, in quâ profectus suos in stadio atq; studio Oratorio sub nostrâ sibi manuductione natos ostendant. *Primus* enim proœmio quasi generali deducet, quod *Christi Passio* non immeritò *cum Tragœdia conferri queat*, quod ex *Gregorio Nazianzeno* in quodam Exordio(38) particulatim diduxit *B. Gerhardus: Secundus* Vobis depinget *Christum cum ligno crucis in montem Golgothæ exeuntem: Tertius* eundem deplorabit *à militibus* Romanis miserabiliter & immisericorditer *confixum & crucifixum:* ex cujus manu *Quartus* hoc ipsum thema suscipiens gravem ad peccatores istos *comminationem* instituet, qui amantissimum nostri Salvatorem peccatis suis horrendis denuo toties crucifigunt: *Quintus* deniq; *Crucem* & ut *Concionatricem* & ut *Consolatricem nostram* est descripturus. Cumq; hic ipse in complexu *Reverendi Dn. Parentis sui* JESAIÆ Weiß *Ecclesiæ nostræ Evangelicæ Diaconi vigilantissimi,* & sub nostrâ disciplinâ tanquam obediens discipulus vixerit, non possumus non illi, quum jam ex consilio prædicti *Dn. Parentis* sui Lipsiensibus informandus fuerit tradendus, fausta & felicia quæq; apprecari, ut studia ipsius Academica laudabili progessu pertexta honorabilem tandem eventum sortiantur. Quod idem reliquis *tribus* quoq; vovere nostri erit adfectus atq; officii, quia ipsi consimili ratione probos, pios, diligentes & industrios sese nobis semper exhibuerunt, ABRAHAMUS quidem per *quinquennium integrum*, reliqui duo verò *ferme per triennium*, ê quibus DROPCOVIUS ex convictu & nutricatu *Reverendi & Clarissimi Viri Dn.* BENEDICTI MULLERI *Ecclesiæ Corbusianæ Diaconi, Rectoris tum fidelissimi*, cujus honorifico quoq; testimonio unà cum comite suo JOHANNE MUL-

LERO

(38) Postill. Salomon concion. am Kar-Freitage